



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrium Virorum Poemata

Amstelodami, 1672


Aegon, Sive de obitu Sidronii Hosschii E Soc. Jesu. Menalcas Fabium
Chisium Cardinalem; Lycidas Poëtam refert.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

Æ G O N,

Sive de obitu

SIDRONII HOSSCHII
E SOC. JESU.*Menalcas Fabium Chisum Cardinalem ;
Lycidas Poëtam refert.*

LYCID.  U i te sollicitat luctus, quæ cura,
Menalca,
O & pastorum decus, & solatia
ruris?

Non animus tibi, non vultus, velut antè, serenus,
Quo blandos audire soles ac reddere versus.

Atqui nunc lætos cum tempore sumere vultus,
Perque vices aliquid, curas quod fallat agrestes,
Ludere conveniat. Jam formosissimus annus,

Jam grati soles, motisque à frondibus aura
Lenior: herba torum, silvæ dant frigus & umbras.

Et peream, si non invitant omnia cantum.

Quin huic nos clivo pariter succedimus, unde

Cernere prærupti fas est de vertice montis

Muscosum per iter rapidas descendere lymphas,

Dum subter ludunt saturæ per præta capellæ.

MEN. Ah! Lycida, Lycida, scires modò, quàm mihi
laxum

Pectore vulnus hiet, mcestum ridentibus agris

Haud, reor, objiceres vultum mihi: mcestus & ipse

In gemitus planctusque oculis rorantibus ires.

Hic

Hic cæli nitor ipse, anni hæc vernantis imago,
 Hæc antra, hi fontes, ipsa hæc juga frondea tantùm
 Me capiunt, quantùm densis nox atra tenebris,
 Aut, cùm improvisâ cælum ruit omne procellâ,
 Percussæ nimbis segetes, & grandine vites.
 Usque adeò premit, ac mentem dolor improbus haurit.
 LYCID. Quidquid id est, ne conde sinu : medicina do-
 lori est

Illius indicium. Quæ non fuit unda, putrescit,
 Et ruit objecto violentior aggere torrens,
 Et compressa parit majorem flamma ruinam,
 Inclusique Euri tellurem atque oppida quassant.
 Sic quoties celat causas, altâque repostus
 Hæret mente dolor, damno est sibi : pectore clausæ
 Marcescunt lacrimæ, spirantque in viscera tabem.
 Occidit hoc nuper morbo Lycus, occidit Alcon.
 At si quid fortuna tibi crudele minatur,
 Antè luem pecori, aut stabulis incendia mittat,
 Aut capiti nostro quæ sint mala cumque reservet.
 Te sine magna Pales squalentia linqueret arva,
 Lugerent armenta, armentorumque magistri,
 Fistula nec cuiquam curæ foret. Hæc mea certè,
 Ludibrium ventis piceâ penderet ab altâ.
 Nec pulsæ valles, vocisque referret imago,
 Quod mihi cantandi cupido dictare solebat
 Carmen Apollineâ demissus origine pastor.
 Quin ego digressus silvis, lucemque perosus,
 Ætatem in duro traherem miser Apennino.
 MEN. Si tibi tantus amor luctus cognoscere nostros,
 Teque adeò tangit dolor hic meus, accipe. Venit
 Verus ab Arcadiâ nuper mihi nuntius, eheu!
 Ægonem occubuisse meum : meus occidit Ægon,
 Ægon,

Ægon, quo pastor totâ præstantior alter
 Non fuit Arcadiâ dulci perfundere cantu
 Mœnala, seu patrii saltus mulcere Lycæi.
 Cui me præclaris captum virtutibus olim,
 Cùm daret hospitium nobis illa aurea tellus,
 Fœdus amicitiā nexu devinxerat arcto :
 Quicum sæpè morari, ac ludere sæpè solebam,
 Quamquam vicinis fremerent regionibus arma,
 Nostraque finitimæ turbarent otia gentes.
 Quis casus mihi te, vel quis Deus abstulit, Ægon ?
 O nimis in miserum crudelia fata Menalcam !
 Infelix pecus ite, nihil moror, ite capellæ.
 LYCID. Anne erat ille Ægon, cujus tu carmina quon-
 dam

Infandam, nimiùm infandam referentia cædem
 Ipse mihi celsâ (memini) de rupe canebas,
 Unde omnes latè turres ac Roma videri ?
 Sic inflectebas inter suspiria vocem,
 Ut mihi visa iterùm fuerit discedere tellus,
 Atque iterùm mœstâ involvi caligine cælum.
 MEN. Ille erat : illum atro merferunt funere Parcæ,
 Aurea divino modulantem carmina plectro.
 Esse quid hoc dicam, quòd tam breve ducimus ævum
 Mortales, vivunt cervi, corvique tot annos ?
 Vidi ego succifas iterùm revirescere quercus,
 Exutosque annis juvenescere sapius angues.
 Quin & avem fama est, sæclis jam quinque peractis,
 Oppetere, eque rogo, quem, quo nutritur, amomo,
 Et nardi calamis, & odoro cortice myrrhæ
 Extruit ipsa sibi, vitam instaurare recentem.
 Ast hominem nec fata sinunt producere vitam,
 Nec semel extinctum remeare in luminis auras.

Nym-

Nymphæ, immortales Nymphæ, succurrite nobis :
 Dicite, si qua viret vestris in montibus herba,
 Quæ gelidos animam revocet vitalis in artus.
 Dicite: tum memor hîc vobis altaria ponam,
 Et tenerâ faciam meritis pro talibus agnâ.
 Quid loquor? abripiunt venti mea vota protervi,
 Et prece nequidquam Divos atque astra fatigo.
 Ægon hinc abiit, nec quisquam Ægona reducet.
 Crudeles Divi, crudelia sidera, Nymphæ
 Crudeles! sed tu cunctis crudelior Ægon,
 Cedere qui vitâ potuisti absente Menalca,
 Immemor heu nostri! Licuisset lumina saltem
 Claudere, & extremum lacrimis perfundere nostris,
 Et dare, si quid id est, frigentibus oscula labris.
 Sed forsan, cùm tu loquerere novissima verba
 Languidus, ac dulces raperet dolor ultimus auras,
 Ipse inter lætas ducebam pocula mensas
 Nescius, aut queruli dirimebam jurgia Codri.
 Quamquam, si penitus mihi mens non cæca fuisset,
 Certus ego hos olim potui prænoscere casus.
 Sæpè etenim esculeâ captanti frigus in umbrâ,
 Dum tacitus sedeo, dum spirat amicior Auster,
 Lævam nescio quid pepulit mihi protinus aurem :
 Cumque admovissem teretes ad labra cicutas,
 Diffona feralem reddebat fistula cantum :
 Sæpè & spontè suâ manibus delapsa cadebat.
 Quod superest, tumulum extincto statuemus inanem,
 Quà Tiberis sacrum velatus arundine crinem
 Pacato Latias interluit amne ruinas.
 Dein viridi in trunco nostri monumenta doloris
 Inscribam lacrimans: quæ fortè notabitur arbos,
 Non illam venti eruerint, non frigore bruma

Læferit, aut ardens inimicis solibus æstas.
 Fixa solo stabit, facietque nepotibus umbram,
 Æternùm testata meos hoc carmine luctus:
 SALVETE ÆGONIS CINERES, QUÆCUMQUE TENET
 VOS

IN TERRIS REGIO. VOBIS HIC JUSTA QUOTANNIS,
 QUI VICINA TENENT PASTORES PASCUA, SOLVENT.
 VIVENTEM COLUIT, NUNC RAPTUM LUGET, ET AB-
 SENS

ABSENTI TUMULUM POSUIT TITULUMQUE MENAL-
 CAS.

LYCID. Sed tu desine plura: vetat se quippe querelis
 Urgeri nostris, qui nunc, ut credere fas est,
 Exceptos cælo vates, exceptus & illo,
 Cantantes audit, pariterque auditur ab illis.
 Et tua dum mulcet nos fistula, pronus abit sol,
 Compellitque greges in septa reducere pastos.
 Cras facere exequias, manesque vocare licebit.

A D

P. S F O R T I A M
 P A L L A V I C I N U M S. J.

Nicander.

N Uper ad Albunæ silvam, quæ rupe sub altâ
 Spumanti præceps Anio devolvitur amne,
 Tityrus & Lycidas læti florentibus annis,
 Ambo pastores, ambo cantare periti,
 Carmine certavere. Locus certaminis antrum,
 Antrum umbrosum, ingens, pumex cui plurimus arcum
 Effi.